



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

§. 1. Italiae nouæ nomina.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13120

GAVLOS Insula terram habet scorpionibus contrariam, eâ enim scorpiones enecat. *Plinius lib. 5. cap. 7. Solinus cap. 32.*

In eâdem Insulâ Gaulo, neque serpens nascitur, neque si importetur viuit. Immo eius Insulæ puluis vbique gentium angues arcet, scorpiones illicò necat.

LIBER SEXTVS.

De Italia secundùm recentiores.

ITALIA orbis olim delicia vel terror, deficiente Romanorum virtute, facta est præda omnium barbarorum, & nominis sui gloriâ exciuit ex Septentrione atque Germaniâ Herulos, Gothos, Hunnos, Vandalos, qui ad nobilissimæ prouinciæ direptionem avaritiam, crudelitatem, sacrilegia detulerunt. Postremis quoque & patrum nostrorum ferè temporibus Francis, Germanis, Hispanis aperuit Martis Campum, in quo tot præliis tantâ obstinatione depugnarunt, vt mirum videri possit sanguine toties, & tam largiter profuso extinctam non esse illius inuadendæ, vel retinendæ cupiditatem. Ita gens quondam *totius orbis domina* omnium penè populorum accepit iugum, iisque seruiit quos ad seruitutem natos aliquando putauerat. Fallor! orbi potentiùs nunc imperat religione, quàm olim armis, additâque summo Pontifici Christique Vicario plus nunc plumbo valet, atque diplomatis quieta, quàm olim ferro atque exercitibus tumultuosa potuit; non iam imperij sedes & vanæ gloriæ, sed virtutis domicilium, atque sanctitatis.

CAPVT I.

De recentiore Italia in genere.§. 1. *Italiae noua nomina.*

RETINUIT apud Occidentales populos antiquum nomen *Italia*: Germani hanc *Welfchland* dicunt: Poloni *Wloska zemia*,
XXxx. ij

Boiohæmi hanc vocem detorserunt *Vlaskazema*: suspicantur quidam olim à Slavis dictam esse *Vloska*, quod ex vocibus Polonicâ, & Bohæmicâ colligunt; certè hodie à loquentibus Slavicè nuncupatur *Laska-deshela*: à Turcis & Græcis eius incolæ Latini dicuntur, à quibus Dalmatæ & Croatæ hanc regionem *Latinska Zemlya*, seu *Zemgla* vocare didicerunt.

§. 2. *Quantitas Italiae iuxta recentiores.*

PHILIPPVS Cluverius in Italiae descriptione sicut in aliis rebus accuratissimus, longitudinem Italiae dire&issimo cursu consideraram ait vix octingenta millia complere, per Neapolim inflexo cursu, haud minùs nongentis Pas. Mil. *Latitudinem* autem excurrentem per Saonam, Augustam Taurinorum, Comum, Veronam, Vicentiam, Opitergium, Aquileiam, Tergestem, Polam & Arsiam Fl. est 151. Mil. per summas Alpes 15000. Mil. Pas. *Ambitum* denique seu *circuitum* ter mille trecentorum milliarium.

Vbi & notat variè loqui in hac parte etiam Italos ipsos, ob diversitatem mensuræ, quæ vbique non est eadem.

Si verò Geographicè loqui voles, Italiae *maxima Longitudo* procurrat ab Augustâ Prætoriâ ad Pro. *Spariunto*, & continet 12. totos gradus maioris circuli, ac proinde 720. Mil. Pas. Leucas nostrates 360. Germanicas 180.

Latitudo autem *maxima* à Populonio Prom. ad Pontebam Venetam 4. graduum est cum 38. minutis, ideòque 278. Mil. Pas. Franc. leuc. 139. Germ. 69. cum dimidia. *Minima* verò *latitudo* ab ostio Vulturni ad Termolam in Capitanatâ vnius gradus cum decem minutis, hoc est 70. Mil. Franc. leucarum 35. Germ. 17. $\frac{1}{2}$.

§. 3. *Qualitas in genere recentis Italiae.*

CÆLVM Italicum vbique temperatissimum est, si excipias regiones aliquas Alpibus suppositas; quia neque in Boream, neque in Austrum nimium procurrat, sed eo in aspectu cæli, seu climate constituta est, vt summam exigat temperiem. Quòd si paulò calidior debeat esse ob Apenninum radios Solares reflectentem, vaporibus temperatur qui ex mari circumposito existunt. Egregiè quoque rigua est, quoniam Alpes & Apenninus ei aquas ex omni parte sufficiunt.